



Catalogus disert.

1. do. Aug. Ernests

1. de fide historica.
2. de difficultatibus Novi T. recte interprætandis.
3. de templo Herodis N.
4. de vanitate philosophantium eloqua.
5. de vestigijs lingua hebraica in lingua grecā.
6. de Theologie historica & dogmatica coniungendæ necessitate.
7. de libertate iudicandi in causa religione.
8. de doni linguarum natura ad illustr. 160. XVII.
9. de operis pastorum ecclasticum et hereticum ad Ep. I. 10.

2. D. J. S. Semler

10. de liberali doctoris S. S. provincia

3. M. P. F. Grauer

11. de ut Christus imago dei innervibilitate, ad 2. 10. 16. 17. 18. Hebr. 1. 3.
12. spiritus apostolorum Jesu Christi magister arguit mundum ad Ioh. xii. 8 - 11.
13. Jesus Christus, quam in contentum est, ad dicti legislator nouus perficit.

4. F. E. Hieberitz.

14. de iis qui primicias spiritus accepérunt ad Rom. viii. 2.
15. Explicatio capítul. Ad. Paul. ep. ad Rom.

5. Sigm. vac. Raumgarten.

16. de exspectatione ab hominibus in secula non obtinenda.
17. obit. ad illustrationem N. T. ex predictis.

6. C. A. Wederlein

18. de vero usq; atque abusa rationis humanae in rebus divinis.

7. D. Gottf. Löff.

19. de doni linguarum indole
20. de filio hominis
21. Sententia iudeorum de messia & de Euro ejus regno.

8. Franc. Volckmar Reinhart

22. utrum de audictum de miraculis requiriatur invenire naturae accurata cognitio.

q. c. 14. 5. Wernsdorf

23. de amen liturgico.

24. iudicium de nonnullis dubitationibus contra rel. Christi.

10. J. Boni. Koppe

25. quicq; sit & existens tps. Episcopatu[m] et quis est katechet. 2 Thess. II. 3 - 13.

11. M. L. C. Loeber

26. vindicia iustitia diuina in morte Annae ad Etat. I. 1 - 11.

12. F. Andre. Stroth.

27. de vera ueritate 1. Pet. IV. 3.

13. D. C. C. Tittmann

28. Jesus deus & seruator in ev. Joann. demonstratur.

14. D. C. G. Robert.

29. causa belli Ieronimiti aduersus lanae gesti. Resunt multa.

15. C. D. Pecor.

30. specimen historie bibliothecarum alexandrinarum.

16. C. L. Gerling

31. doctrina de summa atq; altiora Jesu Christi dignitate.

Jouanne.

Nr. 129.  
2.

*23.*

EX ANTIQVITATE ECCLESIASTICA  
DE  
**AMEN LITVRGICO**

COMMENTATIO

A V C T O R E

ERNESTO FRIDERICO WERNSDORFIO

TH. D. ET P. P. O. ORDINIS SVI SENIORE ET

H. T. DECANO



---

VITEBERGAE 1779.

---

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

۳۵

АКЦИОНЕРНОЕ ОБЩЕСТВО

五〇

# AMEN LITURGICO

СОДѢИНИМЪ

*Eugenio Triduccio* *Mersoglio*

THE DUTY OF OBLIGATION SATISFIED

Q M A O S E C T



## AMEN LITVRGICI VSVS ANTIQVVS ET HODIERNVS

---

A liquoties iam reprehendi morem, qui hodie in ecclesia Romana obtinet, usurpanda in Missa linguae Latinae, docuique Apostolorum ac ueteris ecclesiae exemplo, in cultu Dei publico sermonem, qui ab omnibus intelligi possit, esse adhibendum.<sup>a)</sup> Sed etiam ipsa ecclesia Romana, ex quo tempore is mos inualuit, maximeque postquam per Tridentinam Synodum confirmatus est, habuit subinde viros cordatos, qui faterentur minus commode illum usurpari.<sup>b)</sup> Neque nostro tempore

A 2 in

a) In Disput. inaug. qua *Historiam Lat. Linguae in sacris publicis Lipsiae 1756.* propofui, et in Examine Sententiae Inchafari de Christo Latine loquente, quod infitui per occasionem libelli Diodati, qui Christum Graece loquenter fecerat, edito Viteb. 1771.

b) Nemo maiori aut ingeni acumine et rerum copia, aut Latini sermonis elegancia hunc ecclesiae suae morem

reprehendit, quam homo Hispanus, Carolo V. Imp. imprimis carus, FRIDER. FVRIVS VALENTINVS, libello admodum raro, Basileae 1565. in 8. edito, quam Bononiam appellavit, s. de *libris Sacris in vernaculum convertendis*, ad Mendozam Cardin. Burgens. cui etiam metum suum, ne ideo in infidias et maxima pericula incurrat, elegantissimo carmine exponit.

in ea ecclesia defuerunt, qui praestare utsim linguae populo cognitae iudicarent: e quibus unum literatissimum Virum, MART. GERBERTVM, Reuerendiss. Abbatem, suffecerit nominasse. <sup>c)</sup> Nuper longius etiam progressus est ANONYMVS quidam, <sup>d)</sup> edito libello demonstrans, Missam uernaculo sermone peragendam esse:

in

<sup>c)</sup> *Liturg. Alem.* T. I. pag. 286. scribit: „Optandum sane foret, ut, quod in Galliis fieri nouimus, apud nos quoque obtineret, et in manibus fideliuum essent, orationes sollemnes et lectiones aliae, lingua uernacula expressae. Maximam spirant pietatem, sanctitatemque liturgicae sollemnes preces, quea, ut a fidelibus etiam summo profectu sciuntur, e re foret: quin idcirco aliquid in ipsa Liturgia mutandum sit, prout a Concil. Trid. <sup>d)</sup> Seff. 22. Can. 8. est agnitus: *Etsi Misericordia magna continet populi fidelis exauditionem, non tamen expedire uisum est, patribus, ut vulgari lingua Latinae celebretur.* At pag. 159. ultum Lat. Ling. in facris publicis contra Protestantes defendens, *Incommodo, inquit, ut Liturgia promiscua a plebe non intelligatur, libris et instructione pastorum obuiatur.*

<sup>d)</sup> Titulus libri est: *Prüfung der beiakenden Gründe, welche die Gottesgelehrten anführen, über die Frage: soll man sich in der abendländischen Kirche beym Gottesdiente der lateinischen Sprache bedienen.* Frf. 1777. in 8. Quamquam verum notum loci et bibliopolae supprium est, tamen adiectus libello catalogus quidam librorum in bibliopoli Schadii Furthiano prostantium, indicio est, euim in Franconia produisse.

Miraculo nostra aetate haberi potest, eum librum conscriptum esse ab homine Catholico, qui magna libertate magnoque studio religionis reprehendit ecclesiae sue abusum.

In praefatione contendit, non obstat sententiae sue Canon. Conc. Trid. VIII. Seff. 22: *Si quis dixerit linguam uulgari Missam celebrari debere, anathema sit.* Varias enim horum uerborum ostendit esse posse interpretationes. Eo perfugio uitior, ne subiecta haeretici poenam, recente Isenbichi exemplo. Centum amorum putat spatum effluxurum esse, antequam probaturi sint homines, quod ipse fudat. Nondum ei rei haec tempora esse idonea: plurimas difficultates, quae impedimento sint, remoueri ante oportere. Ducentos post annos demum credi prima initia mutationis factum iri. Siné dubio melius alii cognitum habet, quo in statu ueretur ecclesia sua, qua nihil tenacius moris et confuetudinis est. Caeterum non vult, Latinae linguae usum in facris publicis esse dominacionis Pontificiae arcanum, ut HENR. VAGEDES in *Opp. acad.* Rintelii ed. putauit, aut unam ecclasiasticam linguam ut monarchiae spirituali accommodatam, introducere esse et conseruari, quemadmodum G. W. OVERKAMPF et LVD. CAPELLVS censuerunt. Sed hoc si minus verum esset, non tam facile

in cuius libelli praefatione ostendit, sententiam suam non aduferari notissimo *Canoni VIII. Sess. XXII. Concilii Tridentini*: tum in extremo libello Missam in Vigil. Natuit. Domin. Theotisce exhibuit, ut specimen daret, quam sine ullo detrimento Missa ex Latino posset in uernaculum transferri. Atque is etiam ipse noluit

A 3

excludi

cile Pontifex Rom. omnibus potuisset Iesuitis ex Lusitania et Hispania pulsis, et ad se missis, dare, quod agerent, et quo agendo aliquid mererent, nisi Latino ubique Missalegeretur.

Rationes, quibus a rom. eccl. doctribus linguae latinae in facris usus defenditur, praecipuas ferme omnes commemorat, quamquam ipsorum doctorum nomina tacer. Si sunt Stanisl. Hosius, Petr. Licetus, Spiritus Roter, Iac. Ledesma, Maurit. Poncet, quos reperias comprehensos in *Collectione grau. auditorum*, qui *Ser. S. aut diuinor. officiorum in uulgare linguam translationes* dannarunt, Par. 1661. in 4. edita: et praeter hos Clichtouaeus, Ambros. Catharinus, Alphons. a Castro, Bellarminus, Scortia, qui passim in operibus suis amplissimis rationes in eam rem attulerunt. In primis respondet ad obiectiōnem illam, sermonem uernacularē singulis saeculis mutari, atque adeo ipsam quoque Liturgiam nimium saepe mutari debere: id quod in lingua Latina mortua non esse metuendum. Aliam mutationem per *Gottschedium* Lingua uernacula passim est: nunc nonam tentari a *Klopstockio*. Responſionis eius pag. 45. quae satis quidem proba est, hoc addas: Mutationem eiusmodi non tam celeriter fieri, quam vulgo existimetur: Liturgia a Lutherio et eius aequalibus composita, adhi-

beri et intelligi adhuc, post binorum facieolorum decūsum.

Non uult mutari suae ecclieae Liturgias: modo in lingua fatis cognitam esse transferendas ait, et eam translationem a quadam nationali episcoporum concilio examinandam.

Confutatis igitur omnibus argumentis, quibus patroni Liturgiae Latinae utuntur, demonstrat, quantum utilitatis coniunctum sit cum usu uernaculae: nec putat nesas esse optare id, quod et per fieri queat, et disciplinae primorum temporum ecclieaficiale consentaneum sit, et plus praefert utilitatis, et a plurmis optetur ac desideretur, et nonnulla fortasse ab ecclieae corpore aucta membra ei sit redditum. Sed causiae uidelicet sunt, per quas Pontificibus rom. tollere non licet abusum longa confuetudine firmatum, quamuis ineptum illum et abhorrentem: sicut PETRVS DU MOULIN ostendit in *l'Antibarbare ou du Langage incognev, tant es prieres des particulières, qu'a un service public*. Geneve 1631. in 8. Verum alibi dicemus haec de re pluribus, et exequemur, quod diu nobis propositum fuit, ut, quid in hoc more vani sit, doceamus. Nam hunc eleganter theotisce scriptum libellum homini Catholicoli, confilium nobis est, recudendum curare, observationibus uberioribus adiectis.

excludi omne peregrinae linguae uocabulum: sed in sua elegantia ac proba uersione retinuit Hebraicas uoces, *Halleluiah* et *Amen.*<sup>e)</sup> Sic nos alias defendimus, posse pauca quaedam Latina, certis temporibus et locis adcommodata, in cultu Dei publico recte admitti.<sup>f)</sup> Et postmodo Hebraicas Psalmodiae nostrae ecclesiasticae uoces duas Hosannah et Halleluiah, peculiaribus dissertationibus illustrandas putauimus.<sup>g)</sup>

Vna adhuc restat, AMEN, quae qua ratione tum ab antiqua ecclesia, tum hodieque in Liturgia nostra usurpetur nondum a nobis expositum est.

Itaque quoniam iam CIVIBVS NOSTRIS indicenda sunt solemnia S. Michaelis Archangeli, ne istam partem diutius debeamus, constituimus AMEN LITVRGICI VSVM ANTIQVM ET HODIERNVM hac scritptione breuiter strictimque ostendere, ut, quo sensu, et quibus in diuini cultus publici partibus uel actibus obtinuerit, et adhuc obtineat, intelligatur.

Est

e) pag. 115.

f) Progr. de Sacerdote Lat. lingua ad altare cantillante, ad illustrandum ritum decantandae partis Praefat. Mifaelae Gregor. emendatae, qui diebus maxime festis in ecclisia Viteb. obtinet an. 1761. P. P.

g) Progr. de formula uet. ecclesiae psalmicae Halleluiah publicauimus Viteb. 1762. Commentationem uero de Prece Hosannah eiusque in Liturgia uisu, ibid. 1765.

h) Leguntur in DU FRESNE Glossario ad Scriptor. med. et inf. Latinit. ubi etiam Benedictini nouiss. edit. ex Lexico MSS. Gr. haec habeunt: Ἀμέν τιτηρίους, ἀλεγάντας, ἀλητήριος. Ac pri-

ma harum uocularum interpretatus est etiam Aquila, altera Symmachus, tertia Septuagint. Interpret. Breuiter et perspicue b. LUTHERVS ita expressit: Amen das heißt ia, ia, es soll also gechehen. Latine, fiat, utique credo, ita est. Loca facrorum librorum accurate digesti et exposuit PETRVS RAVANELLYS Biblioth. sac. h. u. Conferri poterit etiam SAM. PETITVS Var. Lection. Lib. I. c. 17. p. 75. et A. CALMET Diction. Bibl. His. crit. pag. 112. item SVICERI Thesaur. u. επαν.

i) De Doctrin. Christ. Lib. 2. cap. 10. et in Ioh. Eu. Trauct 41. Sed ecclesia Gr. et Lat. ideo uocem Hebr. in precibus conseruauit, quod ea maiorem

int.

Est autem Hebraica uox יְהֹוָה multiplicis significatus, quem his comprehendenterunt maiores ueribus.<sup>b)</sup>

*Verum, uerè, fiat, AMEN tria denotat ista,  
Si uerum, nomen, aduerbum sit tibi uere,  
Amen Amen uere, duo sunt aduerbia uerè,  
Amen pro Fiat tibi uerbum deficiens est.*

Hoc Amen quod AVGUSTINVS<sup>i)</sup> Hebreo cunctas gentes uocabulo decantare ait, negans licere aut Latino aut Barbaro id in suam linguam transferre, deducitum est ab eodem uerbo, a quo fides ueritas, estque nota confirmandi et asseverandi, per quam quis utique se credere significat, rem aliquam uerè et certo fieri, aut futuram esse. Itaque omnes Dei promissiones dicuntur esse Ναῦ et Αμήν in Christo, hoc est quas uere et certo propter Christum sit exhibitus. Et ipse CHRISTVS Apocal. Iohan. cap. III. 14. uocatur AMEN. Est etiam nota testificandi assensum suum in re aliqua tum confirmando, tum optanda.<sup>k)</sup>

Gemi-

*nterius* haberet, quam, quae Graeco aut Latino sermone tam breuiter exprimi posset. Quod enim ait CAL MAR. MERATVS in Notis ad Gauant. Thesaur. Sac. Rit. T. II. p. 246. Halleluiah et Amen ecclesiae sermone adeo consecrata esse, ut neque Graeci neque Latini aliaeque Nationes linguis suis interpretari aufae fuerint, quo eadem ratione loqueremur in terris, qua sancti gloriam Dei laudent in caelis: id omnem initium minus solidis uerbis ISIDORI Origg. Lib. VI. cap. 19. ubi loquens de Amen et Alleluiah, Tam enim sacra sunt nomina, inquit, ut etiam Iohannes in Apocal. referat, Je spiru reuolante uidisse et audiriue uocem aquarum

*multarum et tonitruum ualidorum, dicentium Amen et Alleluiah: ac per hoc sic oportet in terris utrumque dici, sicut in caelo resonat:  
k) Ita finitis communibus precibus seu Collectiis, totus coetus respondet Amen, quasi confirmans uerba sacerdotis. Quum episcopus, inquit AVGUSTINVS lib. 2. c. Epist. Parmen. cap. 7. solus intus est, populus orat cum illo, et quasi subscriptiens ad eius uerba respondet Amen. Eodemque modo hanc responsionem explicat Auctor Commentar. in Epp. Paull. quem credunt esse HILARIUM Diac inter Opp. Ambrosii. Per hos, inquit, impletur confirmatio precis, qui respondent Amen; ut omnia dicitur*

Geminatur autem aliquando *Amen* in sacris libris, propter maiorem animi ardorem feruentiusque desiderium rei, quae uel adfiratur uel optatur.<sup>1)</sup>

Iudei han̄c uocem usurabant, maxime significatione confirmandi: sic eam scimus ab optimo Seruatore dictorum suorum confirmandorum causa tum saepe alias, tum praecipue in colloquio cum Nicodemo adhibitam fuisse. In iure quidem iurando sollemnem apud Iudeos ista uox usum habuit: quorum doctores Talmudici de triplici *Amen* mirabilia somniarunt.<sup>2)</sup>

Verum omnia haec nos iam praetermitimus, praesertim quum iam ab aliis narrata sint, inter quos omnium industriam superauit IOH. GEORGIVS WEBERV.<sup>3)</sup> Nostrum consilium est, AMEN LITVRGICI originem exponere, quamque bene usus eius hodie adhuc apud nos in cultu Dei publico seruetur, demonstrare.<sup>4)</sup>

Nam uidemus in ecclesiis nostris uocem esse usitatisimam<sup>5)</sup> qua templa nostra haud aliter personant atque illa Romana, ubi

in

*dicit ueri testimonio in audientium  
mentibus confirmantur.*

1) Fit hoc innumeris in locis ut *Numer. V. 22. Psalm. XXXXI. 14. Ioh. Eu. I. 52. V. 19. 24.* Sic *Apoc. Ioh. I. 7.* habetur Amen Hebr. et *να* particula affirmandi et concedendi apud Graecos, confimilique ratione in *Ἄβετέ νανε* uox Syra cum Graeca coniungitur.

2) Enarrat CASP. CALVOER Rituali eccliehaft. P. I. pag. 479. quid illi per Amen acceleratum, pupillare, amputatum intellexerint.

3) Tr. de Amen euangelico ad uocis sensum et usum euoluendum Ienae 1734.

o) Veteres enim Christiani priuatas pariter ac publicas preces, epistolas item formatas, hac uoce obsignarent, et quando sacra symbola sumebant, in sacra Eucharistia, tum quoque *Amen* emiserunt: quemadmodum pluribus exemplis adalitis docuerunt IOH. ANDRE SCHMIDIVS diff. *de insignioribus uet. Christianorum formulis.* Helmst. 1696. pag. 39. et seqq. IOH. STEPH. DYRANTVS de Rit. eccl. cathol. Lib. 2. c. 17. p. 235. DOMINICUS ET CAROLI MACRO RVM *Hierolexicon* Romae in fol. ed. pag. 30. IOH. BONA Rer. Liturgic. Lib. 2. c. 5. it. cap. 17. §. 3. et de diuina Psalmodia. cap. 16. §. 17. LEODEGAR. MEYER Explic. Ceremoniar. eccliehaft. Tugii

in similitudine caelestis tonitrui quatientibus templis Amen reboare  
HIERONYMVS dicit. p)

Finituntur omnes preces nostrae publicae, quas collectas adpellant, hoc orationis signaculo, quum populus ad ea, quae sacerdos ad altare decantauit, sollempni uoce responderet *Amen*, eoque responso, non tam uotum er desiderium effert, quam certam fiduciam animi, firmiter credentis exauditas a Deo preces, futurum que certo esse, ut, quod praeceunte sacerdote petierit, id sibi contingat. Audita benedictione sacerdotali, quae sub finem diuini cultus ad altare impetriri solet, chorus et populus responderet *Amen*. Claudit concionator sermonem sacrum hac eadem uoce, populoque per eam signum dat precum communium secreto dicendarum, et quibusdam in locis, mulieribus mutandorum subselliorum, ut ecclesiae ueteris exemplo facie ad orientem, h. e. altare uersus, conuersa, precari possint. ①

## Regnat

Tugii 1737. edit. p. 201. J. GRANCO-LAS le Traité des liturgies Par. 1697. c. 26. et traité de la messe et l'office divin. Par. 1713. pag. 30. CLAVDIVS DE VERT Explicat. simple littérale et historique des Cérémonies de l'Eglise Tome 3. pag. 94. et 316. EDM. MARTENE de antiquis eccl. Rit. T. I. pag. 263. 413. 695. edit. Antwerp. f. potius Mediolanensis in fol. an. 1738. CAL. MAR. MERATVS ad Gauant. Thefaur. sacr. rit. T. 2. pag. 245. CASP. GALVOER Ritual. eccl. f. P. I. pag. 477. IOS. BINGHAM Orig. f. Antiquit. eccl. T. VI. pag. 358. et 484. edit. Lat. Grischov. Reuerendiss. MART. GERBERTVS operis de Cantu et Musica Sacra Tomo I. p. 63. et 123.

①) Super istum ecclesiae nostrae morem philosophatus nonnulla est C. H. GERBERVS in der Historie der Kircheneremonien in Sachsen pag. 301. et oratione sua praecipue in eos inuenitur, qui uociferacionibus sibi minifice placentes parum modeste *Amen* publice decantent.

p) Praefat. ad Lib. 2. Comment. in Epist. ad Galat.

②) Habet aliquod momentum haec ratio in fine concionis faciae exclamandi *Amen*, nec facile negligenda est. Nam circumfusa multitudo aures ad eam uocem arrigit, sicut ad finem properat oratio facia: et confusione gignit illius omissione. Erat in celebri et ele-

B gante

Regnat Amen praeceps in fine cantici illius, quod *Credo* dicitur, et magnus religionis uindex Lutherus ex Latino Theotiscum mirabili arte fecit: in quo id flexis tonis et lenta uoce decantatur, atque ab initio repetitur.<sup>1)</sup> Etiam in aliis multis ecclesiae nostrae hymnis Amen additum deprehendimus. Ita hymnus ecclesiasticus Reishieri, *In dich hab ich gehoffet Herr, his verbis desinit: Die göttliche Kraft, mach uns sieghaft, durch Iesum Christum Amen.* Lutheri uero hymnus: *Vater unser im Himmelreich etc.* habet in fine Amen duplicatum, et simul breuem ac perspicuam eius uocis interpretationem, ut fuit ille Vir ingenio et oratione ad miraculum praeclarus: *Amen, das ist es werden wahr. Stärk unsern Glauben immerdar, Auf daß wir gar nicht zweifeln dran, Was wir hienit gebeten han. Auf dein Wort in den Namen dein, So sprechen wir das Amen fein.*<sup>2)</sup>

Quae omnia fiunt et peraguntur in publico nostro Dei cultu accepta ab antiqua et apostolica ecclesia christiana. Haec tum in aliis

gante urbe sacerdos, qui pro sua innovandi cupiditate, et elegantiae cuiusdam affectatione, usitatis et communibus phrasibus liturgicis uti solebat, praeceps autem in fine concionis omitterebat illud *Amen*. Quid factum est? Feminae subsellia sua non mutabant, nisi postquam longe iam in precum recitatione procepsit esset: quae res omnium animos propter intempestivum frēpitum offendebat ac perturbabat. Itaque factorum in ea urbe gravissimus antistes admonuit illum ferio et grauitate, iussisque in posterum semper in fine orationis suae dicere *Amen*.

1) Ritus, quo canentes illud *Credo* in cultu Dei publico idem uoce *Amen ob-signamus*, quae prolixis notularum miscarum deinceps ambagibus protractatur, pariter Synagogae Iudaicae originem debet. u. VITRINGA p. 1119. De eiusmodi longe er protracto *Amen* Iudaei dixerunt: *qui prolongat in pronuntiatione Amen, prolongabuntur dies eius ac anni eius.* ut adnotauit CALVÖRIVS Ritual. Eccl. P. I. p. 479 et 80.

2) Nam *Amen* nostra *subscriptio* est, *confessio, adspiculatio nostra est,* ut AVGUSTINVS Serm. ad pop. c. Pelag. et magna ei uis inesse creditur. Scribit IVO CARNOT. de convenient. u. et

aliis ritibus pluribus, tum etiam in ista re Synagogam Iudaicam imitata est. Non enim, ut quidam voluerunt, maior cum templo Hierosolymitano ecclesiae Christianae conuenientia est, quam cum Synagoga Iudaica: inde Lectio[n]es de pulpite, inde sacrorum librorum pro concione interpretationes, inde cantio[n]es, et ipsum denique ministrorum sacrorum ordinem adscivit. Iam in Synagoga constat sacerdotis orationi, quae uel benedictionem uel maledictionem complectebatur, populum solitum fuisse antiphonae loco *Amen* subiicere, itemque finitis communibus precibus alta uoce *Amen* exclamare.<sup>1)</sup>

Sane in D. Paulli Ap. Corinthiaca ecclesia mature satis rece-  
ptum fuisse, ut per uocem *Amen* tota concio cum ecclesiae docto-  
ris precibus etiam suas coniungeret, intelligitur ex uerbis PAVLI  
quibus in prima AD CORINTH. XIII. 16. monet ecclesiarum do-  
tores, et omnes eos, qui donis uel officiis publicis pollerent, ut  
ea lingua precari et psallere uelint, quam imperiti auditores intel-

a. sacrif *Participem se facit populus omnium charitatum quae sacerdos multiplici sacramentorum diueritate studuit impertrare, per istud Amen Quae uocis efficacia, quam tuis magna sit, eo minus indiget fictis miraculis, quasi infans quadraginta dierum clare uocem hanc pronuntiasse.* — Memorat nimurum SIGEBERTVS GEMBLAC. apud Pistorium Tom. I. Scriptor. rer. Germ. edit Struv. p. 752. si fabula uera est, Siegerbertum, Dagoberti Gall. regis filium, dum ab Amando episcopo baptizaretur, ad omnes preces clara uoce respondisse. Amen. Eadem vox mixta cum antiquo illo *Feliciter*, Romanis in

faustis adclamationibus familiariter coniungitur in S. R. I. Sandtionis, quae *Aurea Bulla* dicitur, initio: *In nomine Sancte et Individuae Trinitatis Feliciter Amen*, obseruant G. A. STRYVIQ in Tr. de iure precum p. 55.

e) Solebant nimurum יְהוָה uere, sic  
fiat, ratum echo sicut dictum, respon-  
dere Nehemiae VIII. 7. Numer. V. 22.  
*Deuter.* XXVII. 1. *EVXTORF* Lex Tal-  
mud. rad. יְהוָה SAYBERTVM in Pa-  
laestra p. 125. CAMP. VITRINGA *Syn-*  
*agoga Vet.* pag. 1093. qui pag. 1102.  
conformatitatem ecclesiast. christian. et  
*Synagogae ostendit.*

ligant, ut orationis illorum fructum percipere, atque Amen ad eam respondere possint. Dicit enim, ἐπὶ ἑαυτοῦ εὐλογήσεις τῷ πνεύματι, ὁ αὐτοπληγῶν τὸν τόπον τῇ ιδίᾳ τε, πᾶς ἔρει τὸ σῶμαν ἐπὶ τῷ σῷ εὐχαριστίᾳ; ἐπεοὖτι λέγεται ἐπὶ οἴδε.

Qui Saeculo post Christum natum secundo Liturgiam veterum Christianorum omnem adcurate prodidit IVSTINVS M.<sup>o</sup>) ait, precibus et gratiarum actionibus ab antistite sacrorum finitis, populum omnem adclamare Amen: πᾶς δὲ παρὰν λαός εὐφρηστά λέγων, αὐτὸν. Sic adparet in usurpanda uoce Amen Saec. P. C. N. secundo in ecclesiis ritum obtinuisse, quem apostolico saeculo in Corinthiaca ecclesia, et clausulam eam praecipue precum eucharisticarum fuisse. Ac uidetur antistitis oratio, uoce alta preces facientis, et populi respondentis adclamatio, ad similitudinem quandam cantus accessisse. Nam est genus quoddam cantus moderati, et eius-

<sup>a)</sup> CHRYSOSTOMVS Homil. 35. in Corinth. Opp. T. X. p. 325. edit. Montfauc. egregie in hunc locum commentatur, et Apostolum sit ostendere, lacum accipere non paruum damnum, quando non possit dicere Amen. Si quis barbarorum uoce benedictionem perficiat, eum nescire quid dicatur, neque posse interpretari, nec respondere Amen. Non audire finem doxologiae ad S. S. Trinitatem definitius his uerbis: in faccula faciolorum, nec dicere Amen. Inniuit uimurum speciem illam cantus, quam Graeci προφωνεῖ uocant, quae conflatior apud eos etiamnam retinetur ob sequiturum populi responsionem dicentis Amen: quam deuotae concionis refectionem uocat HILARIVS in Psalm. LXV. Et Graeci consecrationis uerba hodieque alta

eloquuntur uoce, quibus enunciatis populus dicit Amen u. IAC. GOAR Eu-cholog. Graec. p. 138.

<sup>b)</sup> Apolog. II. pag. 82. edit. Benedictin. e Congregat. S. Mauri. Vbi postquam communes preces, osculum sanctum, oblationem panis et uini, prolixam illam gratiarum actionem pro his donis, commemoravit, ait, precibus finitis populum omnem adclamare AMEN. Amen autem Hebraea lingua idem ualeat ac fiat. Quod poulo post articulatus prosequitur, quomodo in omnibus oblationibus diuina laus fuerit perfecta, atque facerdos post lectiones sacras, orationes, communes preces, gratiarum actionem emiferit, populo adclamante Amen. Ceterum in hunc memorabilem locum Martyris praecare commentatus est b. CAR. GOTTLOR.

MOF

eiussmodi, quem quondam Augustinus dixit pronuntianti quam canenti viciniorem.<sup>2)</sup>

Immo etiam priuatas preces illo iam tempore moris fuisse obsignare uoce AMEN, ex iis quae apud EVSEBIVM de martyrio Polycarpi<sup>3)</sup> leguntur, satis clarum est. Memoratur enim Polycarpus rogo impositus, postquam compleuisset orationem, emisisse clara uoce Amen. ἀναπέμψατος δὲ αὐτῷ τῷ Ἀμήν, καὶ πληγώσατο τὴν προσευχὴν, οἱ τοῦ πνεύματος ἀνθεγωποὶ ἐξῆψαν τὸ πνεῦμα. Sed hoc Polycarpi AMEN iam praetermittamus, quoniam eti publice, non tamen in cultu Dei publico est emissum, in quo uno antiquum eius uocis usum hic inquirimus.

Transeamus ad Saeculum III. ex quo nobis exemplum refert DIONYSIUS ALEXANDRINVS.<sup>4)</sup> Is loquens de nonnemine, qui nunquam uere baptizatus, et nihil fecitus tamen eucharistiae fac-

B 3 plus

HOFMANN diff. Viteb. 1755. P. P. et inscripta: *Antiquitas Liturgiae Evangelicae Lutheranae ex Iustino M. demonstrata.*

y) Reuerendiss. MART. GERBERTVS in praeftantissimo opere de *Cantu et Musica Sacra* T. I. pag. 95. IUSTINI uerba *con dñacis atriā exortatae*, non ut nos, in differt. *dē antiquitate consecrationis eucharisticæ pér orat. dominic.* et in disp. *dē natura et indole Sacramentorum* IV. T. fecimus, de fæcere fæcere et ingenio in compendio preceum formulis, quarum nulla præscripta erat, intelligens, sed ad elatam fæcerotis uocem referens. Quæ uocis contentio, inquit, totis uiribus emissa, populiisque adclamatio a preciis ipsiis distincta, si non articulatum cantum, plus tamen aliquid, quam

solam uocalem orationem designat,

quandoquidem a simplici prece exprefse

S. Martyr distinguunt.

z) Apud EVSEBIVM Hist. Eccl. Lib. IV. c. 15. pag. 169. edit. Reading. ubi in Notis epiftola, et documenta de martyrio eius alia, leguntur. Quum Amen clara uoce insouulifer, precatio nemque compleuifer, minifros, quibus cura ignis accendi fuſſet commissa, rogum accendiffe. UENR. VALESIVS in Notis ad eum locum ista scribit: Verbum ἀντίφαντος hoc mihi indicare uidetur, ipsam quidem orationem tacitè ac submissa uoce a Polycarpo pronuntiatam fuisse, AMEN uero edita uoce prolatum. Itaque redit Rufinus uerit: Et quam Amen insouulifer.

a) Apud EVSEBIVM Hist. Eccl. Lib. VII. c. 9. p. 330. ubi uide Valesii Notas.

pius particeps factus fuerat, eum noluisse dicit se de integro renouare ὡς εὐχαριστίας ἐπανέταυτα, καὶ οὐεπιφθεγξάμενον τὸ αἴρεν, quod gratiarum actionem frequenter audisset, et cum caeteris respondisset Amen.

In Latina ecclesia uocis huius illo saeculo usum valuisse TER-TULLIANVS docet,<sup>b)</sup> qui Christianis, quod Romanorum spectacula frequentarent, exprobrans, ex iis quaerit quo pacto gladiatori testimonium reddere possint, ex eo ore, quo in sanctis mysteriis soleant dicere AMEN. Intelligit Amen dictum in fine maiorum precum consecrationis, de quibus a Iustino Martyre iam expressum est.

Idem uocis AMEN usurpandae mos valuit per saeculum quartum ut ex CHRYSOSTOMO<sup>c)</sup> et AVGUSTINQ<sup>d)</sup> cognoscimus. <sup>d)</sup> Num quid, inquit AVGUSTINVS, ubi audieris sacerdotem Dei ad altare populum adhortantem ad Deum orandum, uel ipsum clara noce orantem, ut incredulas gentes ad fidem suam tenire compellat, non respondebis Amen?

Sed maxime omnium ille ritus ex antiquitate sacra notandus est,

<sup>b)</sup> *De Spectaculis c. 25.* Quale est — ex ore, quo Amen in sanctum protuleris gladiatori testimonium reddere?

<sup>c)</sup> Homil. in 1. Corinth. supra laudata Opp. Montefalc. editionis T. X. p 332.

<sup>d)</sup> Serm. de IVta Feria Opp. ex edit. Benedictin. T. VI. p. 446.

<sup>e)</sup> His paucis uerbis confrabat antiquitus formula tradendi. Sed inde a tempore Gregorii M., ut habet Iohannes Diac. Lib. 2. uita eius, aucta illa est, et facerdos dicebat: *corpus Domini nostri Iesu Christi conseruet animam tuam.*

Denique post Caroli M. aetatem, quemadmodum ex Auctore libri de *Divinis Officiis*, quem Alcuinus uolunt, intelligitur, noua rursum facta est accessio: *et custodiat te in uitam aeternam.*

<sup>f)</sup> Lib. VIII. c. 13. pag. 408 Tom. I. Catechesi Patr. Apostolic.

<sup>g)</sup> Catechesi. XXIII. *Myflag.* V. de sacra Liturgia pag. 331. et 332. edit. TVTTEI, ubi neophyto accedenti ad cancellos altaris, auctor est, ne expansis manuum uolis, neque disiunctis digitis

est, quod ueteribus Christianis in usu S. Coenae sollempne fuit,  
AMEN dicere quando sacra symbola de manu sacerdotis ore accoperant. Nam ad utramque harum formularum, quibus utebatur  
sacerdos, quem tradiceret sacra elementa, *corpus Christi, sanguis  
Christi subiciebat communicans, Amen.*<sup>c)</sup> Hunc ritum Au<sup>t</sup>or  
CONSTITUTIONVM APOSTOLICARVM <sup>f)</sup> his uerbis describit:  
ο μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν, λέγων σῶμα χριστόν· καὶ ὁ δε-  
χόμενος λεγέτω αὐτὸν. ο δε διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπι-  
διδέται λεγέτω αἷμα χριστόν, ποτήριον ζώης· καὶ ὁ πίνων λεγέτω αὐτῷ.  
Ita CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS <sup>e)</sup> neophyto praeciensiens,  
quid eum communicantem facere oporteat: ποιλάνας τὴν παλά-  
μην, δέχεται τὸ σῶμα τὸ χριστόν, ἐπιλέγων τὸ ἄμην. — — — προσέκλε-  
ψῃ τῷ ποτηρῷ τὴν αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, αἰλλὰ ἡύπτων,  
καὶ τρέψω προσωνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τὸ ἄμην.

AMBROSIVS <sup>b)</sup> scribit: Ergo non otiose, quum accipis, tu dicas  
Amen, iam in spiritu confiteris, quod accipias carnem Christi. Dicit  
tibi sacerdos corpus Christi, et tu dicas Amen, hoc est uerum, quod confi-  
tetur lingua, tenet affectus. Similiter HIERONYMVS <sup>c)</sup> AVGUSTINVS <sup>d)</sup>  
talia

gitis accedat, sed finistram uelut iheronim  
num subiiciens dextrae, utpote regem  
suscepitur: et ut concava manu iudici-  
piat Corpus Christi, respondens AMEN.  
Deinde post communionem corporis  
Christi, ad sanguinis poculum accedat,  
non extendens manus, sed pronus flans,  
non et adoratio ac uenerationis in mo-  
re et adoratio ac uenerationis in mo-

<sup>b)</sup> In Sacrament. Lib. IIII. c. 5. ir. de  
Initiandis c. 9. Post consecrationem  
sanguis nuncupatur, et tu dicas Amen.  
<sup>c)</sup> Ep̄. XXXVIII. ad Theophil. ad  
uerius errores Iohannis Hierosolymit.  
Opp. ex edit. Benedict. T. IV. P. 2. pag.  
335. Quia conscientia ad eucharistiam  
accedat, et respondebo Amen, quium  
de caritate dubitem porrigitur?

<sup>d)</sup> c. Faust. Lib. XII. c. 10. Habet ma-  
gnam uocem Christi sanguis in terra,  
quum eo accepto ab omnibus gentibus  
respondeatur AMEN.

talia habent uerba ex quibus idem uocis Amen usus in eucharistiae perceptione cognosci possit. LEO M.<sup>1)</sup> autem ex hoc ritu argumentum petit quo suos contra Eutychianum errorem obfirmit: Sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de ueritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: et frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id quod accipitur, disputatur.

S. PERPETVA<sup>m)</sup> uisionem illam quam habuit referens, in qua sibi uisa est sacrae Liturgiae interesse atque eucharistiam participare: Ego, inquit, accepi iunctis manibus, et manducavi: et uniuersi circumstantes dixerunt Amen. Quae uerba Martyris quod significant, quanquam id per uisionem duntaxat, et non re ipsa factum est, nobis tamen argumento esse possunt, AMEN eucharisticae usum constantem et ubiuis receptum fuisse.

Quo maior autem istius confirmationis quasique vindicationis per AMEN religio esse debuit in sacramento eucharistico, eo magis uituperanda est Nouati cum Cornelio de episcopatu contendentis Saec. III. audacia, qui dum festae suae addictis eucharistiam tradit, loco benedictionis peragendae praiebat illis formulam

<sup>1)</sup> Serm. LXXXI. pag. 357. T. I. edit. nouiss. Ballerini. Venet. 1753. ubi in Notis ex locis Leonis pluribus alii ostendit, Leonem respicere ad Eutychianum errorem, ne quis de ueritate corporis et sanguinis Christi ambigere, quam in Eucharistia per Amen approbabant.

<sup>m)</sup> Habentur Acta S. S. Perpetuae et Felicitatis apud THEODOR. RIVINAR. TUM in Actis S. S. Martyrum sinceis et

selecfis pag. 82. edit. Veron. an. 1731. et quaedam ad calcem amplissimae editionis LACTANTII de Mortibus persecutorum c. n. Var. a Baudro curatae.

<sup>n)</sup> Apud EVSEBIVM Hist. Ecccl. Lib. VI. pag. 315. edit. Reading. subdit: Quum panem illum accipiens dicere debuisset Amen, dicit: Non reverter deinceps ad Cornelium.

<sup>o)</sup> Sic Amen a Graecis post Consecrationem fuisse pronuntiatum often dit

lam iuris iurandi, nunquam se partes ipsius deserturos: quod ius iurandum illi deinde iurabant, ἀντὶ τοῦ ἐπεῖν τὸν Ἀμην. <sup>η</sup>)

Ex his igitur intelligitur, priscis temporibus in S. Eucharistia duplice modo a fidelibus AMEN dictum fuisse, primum quidem ad celebrationem eucharistiae a singulis communicantibus, dum symbola sumerent: deinde ab uniuerso coetu, qui erat in templo collectus, dum sacerdos panem et uinum consecraret.

Sed ritus hic, ut et qui perciperent S. Eucharistiam, et qui audirent consecrationis uerba precesque, rem per AMEN suum confirmarent, postmodno in Latina ecclesia, tanquam parum contineret utilitatis, et aedificationis, prauas mutationes est expertus. Nam in Graeca quidem ecclesia, consecrationis carmen, quemadmodum item in nostra hodie fieri uidemus, etiam nunc alta uoce recitatur, quo in eius fine a populo Amen subiungi possit. <sup>η</sup>) At in Latira, ubi LEONIS M. et FVLGENTII RUSPENSIS temporibus mos idem adhuc obtinuit, <sup>η</sup>) cessauit a Saeculo VI: et quamquam IVSTINIANVS lege edixerat, ut, quae in sancta oblatione dicerentur, ea dicerentur clara uoce, <sup>η</sup>) tamen haud multo post in Canori Missae Gregoriano illud Amen omissum negligi coepit. Nam, quum eum Occidentis ecclesiae omnes receperissent, <sup>η</sup>) et postea iussu Innocen-

tii  
dit IAC. GOARVS ad *Eucholog. Gr.* p.  
138. et EDM. MARTENE *de Antiq.  
Ecccl. Rit.* Tomo I. pag. 413.

p) Leonis M. uerba supra sunt addata: FVLGENTIVS uero exscribit *Augustinum* Serm. CCLXXI. Opp. ex Edit. Benedictinor. Tomo V. p. 770. dicentem: „Apollotus ad fideles: uos estis corpus Christi et membra: mysterium in mensa Domini accipitis possum, et ad id, quod estis, Amen respondetis,

, et respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, et respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, ut uerum sit Amen.“ Epist. ad Ferrand. p. 227. edit. Parif. 1684. in 4.

q) *Nou. Conf.* CXXIII. Iubenus ut episcopi μὴ καὶ τὸ εὐωνυμίου, ἀλλὰ μὴ φῶν τῷ πιστότερῳ λαῷ εὐωνυμίę oblationes et preces celebrent.

r) Quia summa cum celeritate Gregorianus canon, antiquas Occidentis Liturgias

tii III. P. R.<sup>2)</sup> uerba consecrationis a sacerdote secrete dicerentur, populo ea non amplius audiente, AMEN illud neglectum quieuit, et responsio ad uerba haec; in *Saecula Saeculorum* ab eo tempore non a populo fit, sed a choro.

Immo ne id quidem omni tempore obtinet, ut a choro Amen respondeatur. Nam sollemnis Missa illa paschalis, quam ipse Pontifex Rom. celebrat, hoc singulare habet, ut non reddat chorus *Amen*: qua in re ceremoniarum pontificiarum interpretes, nescio quae, sibi uisi sunt mysteria deprehendisse.<sup>3)</sup>

Nec uero tantum in ritibus *eucharistis* AMEN sollempne fuit, sed etiam in *baptismis*, maxime in ecclesia Graeca: in qua illud, quemadmodum hodie in nostra, formulae baptismali addebatur. Preces, quas Iustinianus clara celebrari uoce in sacro baptismate iusserset, frequenter desinunt in *Amen*:<sup>4)</sup> uideturque renuncatio quam suscepentes diabolo, et adstipulatio, quam Christo faciebant, ab iis uoce *Amen* peracta, et in *oφραγις τε κυρία* hoc fidei signaculo esse obsignata.

Praeterea in quibusdam Elogiis Graecorum de baptismo formula haec praescripta legimus: παπτιζεται ὁ δελός τε Θεος ὁ δεναος εις

turgias deleuit, et Ambrosianam Missam attriuit, praeceps ex quo Carolus M. Imp. omnes imperio suo subiectas terras iuberet sequi Gregorianum canorem, mirum non est, omisum in illo ritum circa AMEN, abrogari potuisse in ecclesia. Deprehenduntur tamen in quibusdam ecclesiis Gallicanis eius moris uelut reliquiae, et obseruat *le siège de MOLEON dans Voyages liturgiques de France* Par. 1718. ed. p. 216. in Aurelianensi quadam ecclesia ad formam uerustiorum, quando sacerdos dicat corpus D. N. I. C. communicantem respondere *Amen*. Ceux qui communient, respondent *Amen* pour profession de foi, apres le Pretre a dit: Corpus Domini nostri Iesu Christi.

<sup>2)</sup> Ait INNOCENTIVS de altaris myster. Lib. III. c. I. Ne facra uerba milleferent et in plateis decantarent:

obsecrationem, quae secreta censetur, a sacerdote secrete dici placuit.

<sup>3)</sup> Narrat CHRISTOPH. MARCEL-LVS *Rituum ecclesiasticorum* f. *Jacrar. Ceremoniarum f. Rom. Eccl. Lib. 2. p. 109.* edit. Venet. 1516. in fol. Quando Papa dicit per omnia facula saeculorum; non respondetur *Amen*, sed Papa continuat oremus praecepti. MACRI in *Hierolexico* u. *Amen*, mysticam significacionem ex *Innocentii III. Libro de Missa* c. 12 exhibit, qui putat hoc in signum laetitiae fieri, quia *Amen* illud trium planetum mulierum ad monumentum Christi significat, et quae sunt eius furoris alia.

<sup>4)</sup> Ut uidere est apud GOARVM Eu-cholog. Gr. pag. 353. et 355. vide quoque BINGHAMM Orig. Lib. XI. cap. I.

<sup>5)</sup> IAC. GOARVS *Ritualis Graec.* pag. 365, inter plurimas precum bapti-fma-

*εἰς ἔροψε τὴν πάτερον, ἀμήν, καὶ τὴν υἱόν, ἀμήν, καὶ τὴν ἁγίαν πνεύματος,  
ἀμήν, νῦν καὶ αἰώνιον εἰς τὸν αἰώνα τὸν αἰώνων.*<sup>2)</sup> Adhaec in baptismo Catechumenorum apud Graecos cantabatur *Doxologia*, ad quam receptum erat ut populus responderet *Amen.*<sup>3)</sup>

Psalmodie antiquae magna erat in cultu Dei publico grauitas, et quod uocis tenor medius inter pronunciationem et cantum seruabatur, et quod concinendi AMEN usus accedebat. Praedicatur ab AMBROSIO<sup>4)</sup> variarum actatum in ecclesia illud Amen concinnitum symphonia, hunc in modum: *Haec est symphonia, quando concinit in ecclesia diversarum actatum atque uirtutum, velut variarum chordarum, indistincta concordia, psalmus respondetur, Amen dicitur.* Eiusdem uocis AMEN usum, inter modulationem psalmorum Davidicorum a populo redditae caelumque ferientis, AYSONIVS<sup>5)</sup> egregie his ueribus describit:

*Consona quem celebrant modulati carmina David:  
Et responsis ferit aera uocibus Amen.*

Hinc est quod ueteris ecclesiae doctores, quando cultum Dei publicum indicare, aut suauitatem eius exprimere uolunt, AMEN solent nominare. Sanc ATHANASIO<sup>6)</sup> nihil hac populi promiscua

C 2 in

finalium formulas, nullam talem formulam exhibet: Sed ea reperitur in aliis Euchologiis, et in eo, quod per I. PINELUM Venet. an. 1548 in 4. prodit p. 104. Idem Goarus, quia nefas putat in formula ab optimo Seruatore tradita quidquam immutare, aut uerbis eius addere, contendit, ex deuotissima cœfactum esse, ut post singularum Trinitatis personarum appellationem statim *rōmūn* ponetur. Atque adeo coniicit, Eulogia ea, quae *Amen* intermixtum habeant, fuisse adulterata ex Rituali baptismi Alexandri Seueri. Iam quidem legitur haec forma in SEVERI libro de Rit. Bapt. et sacræ Synaxis apud Syros receptis quem GVIDO FABRICIVS BODERIANVS Antwerp. 1572. edidit pag. 87. Sed habent eandem aliae ecclesiae Graecæ, et seruat eam Rituale ecclesiae Graecæ Ruthen-

nicae nouissimum a IO. GLEN. KING anglice vulgatum, quod theoretice reditum Rigae 1773. in 4. mai. hoc titulo prodiit: *Gebrüduche und Ceremonien der Griechischen Kirche in Russland*, ubi pag. 201. legitur: *Im Namen des Vaters Amen, und des Sohnes Amen, und des heiligen Geistes Amen.*

y) Vide praeter Reichenbergii de Doxolog. V. E. et Alixii de Trifagio diss. FORBESIVM Infruct. hist. th. L I. c. 22.

z) Commentar. Lib. VII. in LVC. XV. Opp. T. 3. p. 169 edit. Par. 1642.

a) Ephemer. in fine orat. pag. 95. edit. Iuliani Floridi in usum Delphini ubi in Notis obseruatur, ad Carmina Davidis, ea præcipue, quae de Christo contineant uaticinia, in cultu Dei publico decantata, plebem respondisse *Amen.*

b) Apolog. ad Confluent. Opp. T. I. pag. 683. edit. Par. 1627. ut breuitatis causa

in sacris; iisque publicis Christianorum conuentibus responsione fortius uisum est, ad mitigandum Constantii Imp. animum iratum, ob sacra habita in ecclesia nondum sollemniter dedicata. PAULLINVS NOLANVS Ep. quando Nicetam, Dacorum episcopum, qui ad natale S. Felicis Nolae occurrerat, abeuntem longo carmine prosequitur, enarrat suavitatem ecclesiae Nicetanae, hymnis laudes diuinias celebrantis, canitque

*Audient Amen tremefacta cete  
Et sacerdotem Domino canentem*

*Laeta laetio procul admeabunt  
Monstra natatu. c)*

GREGORIVS NAZIANZENVS<sup>a)</sup> matrem suam laudat, quod altum silentium in cultu Dei publico seruarit, neque aperuerit os, nisi ad canendum et ad respondendum *Amen.*

Veteres igitur hac uoce *AMEN* sunt usi, tum in confirmandis actionibus sacris, tum in multifariis publicis pariter ac priuatis precibus obsignandis. Etiam *Epistolas*, quas *formatas* uocabant, soliti erant ea uoce obsignare. Sed quoniam hoc epistolaram formatarum *Amen* spectabat magis ad disciplinam ecclesiasticam, quam ad Liturgiam et cultum Dei publicum: de eo hic facebimus.

Illud *AMEN* adhuc volumus commemorare, quod in clausulam huius commentationis possit maxime conuenire. In uisione Iohanna angelii, ad uoces Sanctorum, sedentem in throno et agnum laudantium, adclamant *Amen*. Idem et nos faciamus CARISSIMI CIVES et in laudes diuinias hoc die festo Michaelis Archangeli totis animis effusi, immensam Dei bonitatem praedicemus, et gratias ei, quantas possumus, agamus, ob redditam Saxonice terris pacem, et restitutum Academiae huic nitorem, supplicesque ab eo petamus, ut praesidium et adiumentum angelicum porro nobis praeſtare propitius uelit. Deinde ueterem sequuti ritum, ad aram manu liberali donum offeramus. P. P. in Acad. Vitebergensi ipsis Vigiliis S. Michaelis An. MDCCCLXXVIII.

*caufa ex Versione pauca adferamus. tanti populi conuentis una vox pro-  
Ubinani inquit sanctius condecentius- feratur, qua Deo dicunt Amen?  
que populus responderet Amen: in de-  
fertis an in templo, quod iam appella-  
batur Dominicam? Et mox: Quid si*

*c) Poemata XVII. Tomi II. Opp. ex  
edit. c. n. Var. Par. 1685. in 4. p. 66.*

*d) Orat. XVIII. Opp. T. I. p. 292.*

Na 32.

vd 18

ULB Halle  
005 367 468



3



23.  
EX ANTIQVITATE ECCLESIASTIC

D E

# AMEN LITVRGI

COMMENTATIO

A V C T O R E

ERNESTO FRIDERICO WERNSDO

TH. D. ET P. P. O. ORDINIS SVI SENIORE ET

H. T. DECANO



VITEBERGAE 1779.

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

